

II  
§. XIII.

Huic Episcopatu Bonifacius praefecit *Wittam*, ut ab *Othlono lib. I. c. 25.* seu *VVittanum*, ut in Germanico incerti loci Concilio, seu *VVizzonem*, ut in *vita S. VVillibaldi §. 29.* vocatur. Mabilio quidem hunc *Wizzonem* a *VVitta* diversum existimat, & primum Episcopum Erfurtensem fuisse conjicit, secundum vero Buraburgensem; sed nullam discriminis rationem profert: Nam levis est discrepans illa nonnihil pronuntiatio, quae differentiam insignem constituere nequit, ut *VVizzonem*, alium *VVittam* esse dicamus; oritur enim ea diversitas ex vario apud Superiores & Inferiores Germanos pronuntiandi modo, quorum illi *Weiß* vel *Wiß* / hi *Witt* dicunt, manente tamen eadem significatione. Praeterea novimus praeter *Adelarium* neminem praefuisse Episcopatu Erfurtensi, cum hic primus & ultimus fuerit, ut *Wizzoni* nullus locus esse possit. Barbarum hoc nomen in latinum postea converterunt, & quem Germanice *VVizzonem* vel *VVittam*, illum Latine *Albinum* vocabant, quo nomine in *vita S. VVigberti* & *Anonymo Gemblacensi* venit. Nihil autem ea aetate erat frequentius, quam ejusmodi vocabulorum ex Germanico in Latinum sermonem translatio. Sic *Arent* Episcopus Salzbürgensis mox appellatur *Arno*, mox *Aquila*, nam Majores nostri *Arent* pro *Adler* plerumque dicebant. Inter *Alcui*ni Auditores etiam quidam *VVizzo* memoratur, qui alio in loco *Candidi* nomen habet. Plura exempla non addam, sed agmen claudat *Heriulfus Chronographus Centulensis*, cum de *S. Frichorio lib. I. c. 6.* agit: *Alterius nomen, inquit, eo quod rictu linguae barbarae ineptum visum est, a prioribus mutatum vocatur & scribitur Hadrianus.*

§. XIV.

Erat autem hic *Albinus* gente *Anglus*, eductus & formatus in monasterio, forte *S. Columbae*, quod celeberrimum

B 2 erat